

**1979-01-23- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Ioanni Cardinali Villot'**

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II AL CARDINALE GIOVANNI VILLOT

Venerabili Fratri Nostro Ioanni S.R.E. Card. Villot a publicis Ecclesiae negotiis, S.R.E. Camerario

QUONIAM IN EO est, ut aerium iter in dissitas regiones instituamus – videlicet in Mexicum Nos conferemus atque etiam in una e Magnis Antillis brevi morabimur – consentaneum est, ut negotiis in hac Apostolica Sede per absentiae Nostrae tempus gerendis, quod a die XXV mensis Ianuarii ad diem I Februarii hoc anno ducetur, provide consulamus.

Itaque tibi, Venerabilis Frater Noster, qui gemino fungeris munere Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis et S.R.E. Camerarii, omnes oportunas canonicas facultates ad ipsius Camerarii partes obeundas, prout rerum adiuncta postulabunt, in idem temporis spatium largimur.

Nominatim vero potestatem tibi delegamus concedendi, absentiae Nostrae tempore, si periculum sit in mora et servatis servandis, omnia indulta, facultates et gratias, quae Nosmet ipsi tribuere solemus, itemque prospiciendi, si casus peculiariter gravis occurrat, regimini alicuius dioecesis per Administratoris Apostolici nominationem.

Te denique humane rogamus, ut assiduis precibus Nos adiuves in eiusmodi itinere constitutos, qui eo vehementer contendimus, ut gloria Dei propagetur, cultus Beatae Mariae Virginis foveatur et Ecclesiae, praesertim in America Latina, quam maximae utilitates obveniant. Certi prorsus de tua sollertia et officii diligentia, tibi, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem, benevolentiae Nostrae testem, libentissime impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Ianuarii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PAULUS PP. II